DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS I. MARTII,

M. PETRO GVENAVT Doctore Medico, Moderatore.

Est-ne aër serotinus fugiendus? 956

NON minus ludit, qui ex atomis componit omnia, quàm qui è terra: & vt primum fluctuantis in aëre mentis leuitatem, sic & postremum eiusdem humi repentis arguit inertiam. Rectius sanè sentiunt, qui quatuor admittunt elementa, rebus promiscuè gignendis, & conseruandis ita necessaria, vt connubio inuicem iuncta cohæreant, sed parum stabili. Ita enim discors est illorum concordia, aut potius ita concors discordia, vt etsi imperio formæ nobilioris mancipata sui iuris non sint, sed quasi vincta, & oppressa iaceant seruiliter, libertatis tamen auida, tumultus excitant, iugum excutiunt, viresque penè mortuas exerunt, non ad pugnam modò, sed ad victoriam: pessimum sanè certaminis genus, in quo victoris spolia vita mortalium est, quam tot modis exercent, tot machinis impetunt elementa, vt quæ omnium patet iniuriis, nullius possit illæsa impetus sustinere.

SED etsi omnia in hominis perniciem conspirent, vnus tamen aër nocentissimus est. Quid enim potentius à sanitate nos deijcit quàm aër? quis eius impetus effugiat, cùm vbique præsens sit? quis eius auertat iniurias, cùm non modò ab inferioribus, sed & ab ipso cælo sint: Astra enim sæpe ferales prætendunt faces, & in aëre tanquam in amplissimo theatro, tantas excitant tragœdias, vt non modò canes domestici ad cælestis ortum paueant, sed de superiorum tyrannide querantur inferiora. Quòd si cælum ipsum non sit criminis expers, quænam tu putas ignem, aquam, & terram maleficia conferre aëri, tanta sanè vt nec numerando recenseas, nec cogitatione assequaris; nunc enim nimiùm tenuis, Soli imperuius, crassus, opacus, caliginosus, fœtidus, fluctuans, coactus, ventis vel minimum, vel nihil, vel præpostere perflatus, nonnumquam tetris vaporibus ita inquinatus, vt epidemios morbos generet. Qui si sint pestilentes, tanta celeritate sæuiunt, vt primus illorum impetus plerumque vltimus sit, vixque sæpe momentum intersit, inter hominem sanum, & nullum: caue tamen ne in illis recenseas variolas & morbillos, quos non malè retuleris ad maternum sanguinem suâ naturâ laudabilem.

VITIA aëris insolentia mirantur rustici & philosophi, sed quæ vulgaria sunt, neuter miratur, quia non obseruat. Aërem serotinum quis crederet noxium? pauci sanè: est enim eius vsus ita tritus, & familiaris, vt non modò non fugiatur, sed diurni incendij remedium perperam expetatur, sitque delicatulis nostris tum viris, tum mulieribus, in deliciis. Is autem est, qui obeunte Sole nos circunfundit paulò ante noctem, non is quidem purus, & sincerus, sed putridis, fœtentibus, malignis onustus corporibus, quæ dum Sol olim educeret, partim in ventos, pluuiam, grandinem, & tonitrua abiere: partim verò suspensa in aëre fluctuarunt. Caue putes insitam esse leuitatem hanc, grauia omnia sunt, aquæ terrenæ naturam ita redolentia, vt fugiente Sole, motu reciproco relabantur in hominum ruinam: nam etsi Solis beneficio retusa sint, non sunt tamen perfectè castigata.

AEREM serotinum noxium esse qui negat, neget autumnum insalubrem oportet: nec enim huius minùs, quàm illius damnanda inæqualitas. Non bene fert natura motus qui repentini sunt, nec æstuantis cæli remedium est serotinum refrigerium. Imò quæ inde nascitur infida delectatio, sæpe vitæ, aut sanitatis empta dispendio. Quid enim perniciosius quàm per patentes cutis meatus derepente irruentem aërem admittere, qui vires fractas, & diurno calore penè exolutas, non modò impetit, sed extinguit; qui dum confertim & intempestiuè appellit, corpora vel nimiùm difflata refrigerat periculosè, vel non satis difflata afficit periculosiùs: imò etsi aër esset ἀναίτιος, alienis tamen nos impetit iniurijs, dum ventis agitatur insalubribus, vel inquinatur vaporibus: quos si specus, voragines, stagna, cloacæ, lauatrinæ, fodinæ metallicæ prauos eructent, insepulta cadauera tam exitiosos euomunt, vt numerosus exercitus fœtens, periculosior sit quàm furens, & armata putredine corpora, quàm gladio nocentiora. Is autem aër etsi parcere nesciat, pari tamen non sæuit impetu. Qui cadit abeunte Sole vt crassus, inæqualis, & alienis inquinatus corporibus, ita & omnium maximè est insalubris.

EST-NE vita tibi oneri? aërem quære serotinum: hæc vt trita est, sic & compendiaria ad mortem via; sed quæ dura & aspera destillationum genus omne prodet. Antesignana erit Arthritis dolorum acerbitate immanis; nunquid & immanior illorum carentia apoplexia, quâ non magis æger attonitus fit quàm ipse Medicus; dubius sæpe, viuenti, an mortuo faciat medicinam. Optabile sanè malum febris si tanto morbo superueniat, sed optabilior venæ sectio, quæ citò iugulat, vel sanat: huius morbi feritatem si effugeris, non eris propterea in tuto, nascetur asthma, quo qui laborat, experitur quid sit animam exhalare: cæcitas quæ si vitam non aufert, vitâ tamen quid præstantius eripit, dum animam in caliginoso carcere detinet, quam vix natura suo ambitu coërceret. Neque his tantùm formidabilis aër serotinus, maleficia sua longius, latiúsq; diffundit, inuehit coryzas, raucedines, tusses, lateris dolores, surditatem, nigredinem dentium, epiphoras, paralyses, alui profluuia, febres, anginas, tabes, morbos comitiales, nulla deniq; pars est in quam infensissimus ille hostis suam tyrannidē non exerceat.

Ergo aër serotinus fugiendus.

Proponebat Lutetiæ IOANNES MAVRINVS Annotensis, A. R. S. H. M. DC. XLVI.